

tis undique periculis ob Hispanorum victoriam circumseptus Paulus sit, Patribus ostendit: Henricum gravissima clade perculsum ex Italia suas copias ad Gallias tuendas accersere coactum; omnibus destitutum viribus, atque auxiliis, hostium voluntati, ac libidini Pontificem objectum iri: afflictis, ac perditis rebus, nullum sibi, nisi in Republica subsidium superesse. Quapropter Pauli nomine Ecclesiae imperium, pontificiam dignitatem illi commendare; petere, ut prisca pietate se, resque suas tueatur; pro illius incolumitate quantum possit officio, atque auctoritate nitatur. Senatus nullo officii genere Paulo defuturum pollicetur. Statim per literas perque legatos denuo pacis negotium suscipit; Marcum Antonium Franciscium a secretis, mutatis ad pernicitatem equis, Romam statim proficisci jubet: præcipit, omnem operam, studium, diligentiam ad Principum animos stabili pace conciliandos adhibeat; cum Naugerio legato statim Paulum adeat, quæ in mandatis habeat, exponat. Franciscius Romam profectus cum Naugerio primum Caraffam Cardinalem, deinde Pontificem alloquitur, iussa Senatus patefacit. Paulus in Reipublicæ laudes effusus, ingentes Senatui gratias agit, iiiiis pietatem extollit: quod faustum, felixque sit, Albanum Ducem adiret, pacisque negotium conficeret. Cardinalis, tuto itineris ad exercitum faciendi facultate Franciscio ab Albano Duce impetrata, antequam in castra progrediatur, de rerum statu docet. *Aequum non esse (inquit) ut, abjecta prorsus dignitate, Pontifex in Hispanorum voluntate sit, qui superbe nimium Palianum oppidum petant, e regia eos liberalitate pendere, eique prorsus addicere velint: dura hæc adeo esse, ut iis legibus omnis spes concordie prorsus auferri videatur: extrema potius, quam eas leges passurum; neque Guisum multa, eaque gravia petentem, ne soli hostilibus armis pateant, dimissurum; atrocissima quæque tormenta subiturum, vitam denique ipsam pro jure ac dignitate Pontificis retinenda, prompto, atque bilari animo effusurum.* Hæc, atque alia vehementi concitatum spiritu loquentem Cardinalem Naugerius lenire adortus, eorum, quæ jam præteriissent oblivisci, ex animo in pacem intendere; *Nunc demum tempus esse, inquit, ut Italiae vulnera, summo totius christianæ reipublicæ be-*

*M. Antonius Franciscius a Veneris ob in-eundam pacem Romam mittitur. Pacis negotium.*